



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ad annum Christi 1563

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1771

VD18 90118618

§. 85. Viginti tres Commissarii ad discutiendam Grimmani caussam
nominati.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66653](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66653)

accidit, atque exinde molestiam sibi crea-
 ri veritus, ad Præsides rescripsit, ac de-
 super conquestus eisdem injunxit, ut O-
 ratorum petito cederent: hæc tamen
 addidit: Ideo nondum transmisi diplo-
 ma, quo meam mentem aperirem, quia
 nemo illud a me petiit: quapropter lo-
 co diplomatis vim habeat hæc mea epi-
 stola per celerem cursorem delata:
 meum autem est votum, ut integre mos
 gereretur Venetæ Reipublicæ, etiamsi
 ipsa cuperet, ut ea causâ in pleno Con-
 cilio ageretur: verum opportunius ef-
 se videtur, ut tunc ubi Oratores Veneti ac-
 quiescerent, a vobis Theologi, qui hanc
 causam cognoscerent, iique ex omni
 natione seligerentur: denique ita rem
 peragatis velim, ut Respublica sibi sa-
 tisfactum intelligeret, amota omni que-
 rendi ansa.

§. LXXXV.

*Viginti tres Commissarii ad discuti-
 endam Grimmani causam nominati.*

Biduo post scriptam hanc epistolam Ro-
 mæ diploma Oratori tradebatur, Sy-
 nodi autem Præsides consentiente Gri-
 mano Patriarcha viginti tres ex Patri-
 bus quidem destinarunt, cavebant ta-
 men, ne quempiam comprehenderent,
 qui aut in ditione Veneta Ecclesiam ob-
 tineret, aut alias Romæ illi causæ in-
 terfuis-

Sæcul. XVI.
 A. C. 1563.

*Litt. Legat.
 ad Borr. 8.
 Et 12. Jul.
 apud Pallav.
 n. 14.
 Viscont. litt.
 54. p. 164.*

Sæcul. XVI.
A.C. 1563.

terfuisset: idcirco fortasse, cum prius connumerassent Magistrum Generalem FF. Prædicatorum, eundem postea ab officio excluderunt; selecti autem ad iudicium fuere cuncti quatuor Oratores Ecclesiastici, tres Galli a Lotharingio Cardinale nominati, dein ceteri Episcopi, & alii Patres ex doctioribus Italis Belgis, Hispanis & Germanis, sed quia comprehendebantur nonnulli haud Theologiæ, sed duntaxat Canonum periti, hos postea Patriarcha recusabat, ac pro eo Veneti Oratores petierunt, ut illi excluderentur, causati, controversiam esse mere Theologicam, & a Pontifice Legatis injunctum fuisse, ut in ea Theologi adhiberentur, Canonum peritis haud nominatis: quare in hoc pariter Synodi Præsides eorum votis acquiescebant, hanc petitionem æquam censentes. Denique Grimanus, & Oratores, cum petere viderentur, ut ad hosce viginti tres Præsules jam Deputatos duo quoque Cardinales Lotharingius, & Madrutius accederent, in hoc Præsides pariter consentiebant: hujus vero causæ exitum postea suo loco recensebimus.



HISTO-